abundantia, et luce Euangelij cla-
riſsima tantam eſſe maximæ partis
hominum oscitantiam et cœcitatem,
ut nec de periculorum ſuorum mag-
nitudine, nec qua ratione ab ijſdem
liberari poſſint, quicquam ſint ſolli-
citi, ut non immerito tales infanti
ſedenti in ſpecu, ut Propheta loquitur
et ludenti cum baſiliſcis, aſſimilari
poſſe uideantur. Corrigenda cer-
te tanta ſecuritas est, et negligentia
et ut ad inuocandum ſimus diligen-
tiores, ſæpe multumque cogitandum est
de nostra infirmitate, de Diaboli in-
ſidijs, et mole periculorum, quæ no-
stris ceruicibus impendent et extrema